

1483

*Patres Le-  
thoringie  
Ducem in  
Italiam si-  
pendio ac-  
cesserunt.*

no Principi, est delata: sed rerum gestarum gloria penes Aragonium fuit. Patres, quia nihil non eorum, quæ in hostium concilio erant gesta, resciverant: secum reputantes quanta belli moles sub vernum tempus sustinenda es- set ( præter Genuenses, quos Joannes Franciscus Paschali- cus ad hoc ipsum in Liguriam missus, summa industria & dexteritate, quamdiu bellatum est, in fœdere retinuit, nullus erat jam Italiæ populus, nullus quidem Princeps, a quo non arma in se parari cernerent ) ut & ipsi suas partes maturis viribus firmarent, ex Gallia Renatum, Lo- thoringiæ Ducem, ingenti stipendio accersunt. Fuerat ad eum missus aliquanto antea Antonius Vinciguerra, scriba- rum unus, non magis Veneto quam Pontificis nomine, qui magnis illum pollicitationibus in Italiam adversus Herculem traheret. Sed Pontifice alienato, perstitit ille fidem, quam apud Venetos oppigneratam habebat, servare. Cum ducentis igitur equitibus, peditibus mille in Italiam transiit: Vinciguerra illum citra Alpes duxit. Cui venienti Bartholomæus Victurius & Nicolaus Foscarenus, patricii uterque sanguinis, Tridentum usque in ipsis Italiæ finibus decreto Patrum obviam processere. Allobrogas aliasque Gallicas gentes, quas stipendio conduxerat, Au- striæ Dux aliique Germaniæ Reguli ac liberi populi in Pontificis gratiam accessu prohibuerunt. Eratque jam ver- num tempus, quum Petrus Privolus & Marcus Antonius Maurocenus legati in castra venerunt. Ingentes belli mi- næ ab hoste instabant. Verum etsi nihil adhuc illi move- rant, quia tamen spes Patribus facta erat, si Severinas Abdua copias trajecisset, fore ut Mediolani per homines ejus factionis omnino novus aliquis motus orioretur ( con- flans fama erat, Galeacii uxori cum Lodovico Sforcia in principatus administratione parum convenire ) variantibus itaque aliquandiu in senatu sententiis, obtinuere tamen, qui ita factò opus esse censebant, ut ille, copiarum parte circa Ferrariam relicta, cum reliquo exercitu in Galliam transiret; præmissusque Deiphobus Anguillarius cum vali- do equitatu, qui in Brixiensis agri finibus ad Asulam us- que